

XIII. *Causam impulsivam externam* seu meritoriam, Christum mediatorem, aut obedientiam & meritum ejus sanctissimum, fide vera ac viva ab homine apprehensum, esse credimus: scilicet quod DEUS, quemadmodum *in Christo*, vel ut mediatore agnito, seu propter meritum ejus fide apprehensum, *elegisse*; in eoque (aut ejus, velut moventis aut impellentis, causa,) *omni benedictione spiritali nobis benedixisse* dicitur *Eph. 1, 3. 4.* sic ejusdem meriti intuitu insignem illam benedictionem largiri velit, ut presentiscere possimus beatitudinem, qua ipse posthac nos perfundere vult ac satiare.

XIV. Eorum itaque sententiam, si qui hominem suis operibus bonis, eorumque dignitate aut virtute movere Deum ac mereri posse putant, ut vitæ æternæ sensum aut gustum quendam in hac vita antecapiant, (quo fortasse Monachalis quorundam Ascetarum, qui per viam *purgativam & illuminativam* ad eam, quam *unitivam* vocant, non sine fiducia priorum meritorum contendunt, fastuosa præsumptio pertinet:) procul hinc esse jubemus, & gratiæ Dei ac merito Christi tantum detrahere illos, quantum operibus aut sanctitati suæ tribuunt, judicamus.

XV. Sed si quædam inter eos, qui prægusto beatitudinis donati sunt, *inequalitas* ac singulare quiddam uni aut paucis, præ aliis, divinitus collatum deprehendatur; (de quo mox videbimus,) quamvis & illic negari non debeat, quicquid cuique boni spiritualis ejusmodi obtingit, id per Christum ac vi meriti ejus obtingere: tamen, ubi quæstio *comparative* formatur, & præcise quæritur, qua re motus aut impulsus Deus, huic peculiare quidpiam dederit, quod alteri, utut æque fidei ac dilecto, non largitur? seu, quare huic futuræ beatitudinis revelationem ac sensum abundantiorum quam alii, communicet; cum meritum Christi unicum utrinque æque apprehensum fuerit? satius fore existimamus; si Divinæ sapientiæ rationes suos nobis impervestigabiles relinquamus, quam ut has irreligiosa curiositate scrutemur, aut temerario ausu definiamus. Quamvis enim diversitas finium intermediorum, diver-